

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Promptvarii exequialis pars ...

Continens centurias II. dispositionum, quibus themata funebria sive
scripturae dicta varia ...

Bidembach, Felix

Francofurti, 1625

Thema XLVIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-130978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130978)

bolo, nihil habet etiam in splendore regio. & cum moriendum est, à Diabolo terretur, 1. Sam. 28. v. 20.

II. Admonetur autem vt simus oues, non porci, canes, 2. Petr. 2. Adhæreamus pastori ducenti, & pascua sequamur, atque ductum illius, nec temere desectamus.

Tunc nihil deerit, neque turela, nec consolatio conscientia, non cibus, non potus. Sat habebimus in vita, in morte & post hanc vitam. Parata est mensa, Baculus tuebatur. Misericordia sequetur in æternum.

F I N I S.

T H E M A XLVIII.

Pfal. 31. v. 6.

*In manus tuas Domine commendo spiritum meum.
Redemisti me Deus veritatis.*

D I S P O S I T I O.

Duo sunt homini charissima, quibus cupit bene esse non solum in hac vita, sed etiam post hanc vitam: Anima scilicet & corpus. Et de corpore quidem, in terram per se reuersuro, minus solliciti esse possumus: cura vero maior sit de anima. Quia si anima bene sit, certum est, corpus, suo tempore, eadem cum anima felicitatem sensurum. Sicut vicissim si negligatur anima, & ad cruciatus perueniat, corpus eiusdem calamitatis futurum est particeps.

Ideoque omnes boni merito hoc agunt, vt animalæ suæ provideant, quæ vt ex hoc loco & aliis patet, non cum corpore est moritura. Hoc perpendens noster Psalteres, animam suam commendat in manus illius, apud quem sperat optime depositam. Illius exemplum imitaturidicemus,

1. Quinam, & quare, quomodo item & quando anima sit commendanda.

2. Vnde certi esse possumus, quod illa sit in talem clientelam peruenitura, vbi ei perpetuo bene sit.

I. Pars.

I. Pars.

Initio notandum, animam vocari spiritum: quia immortalis est: Et quia nihil est corporeum. Sic etiam appellatur anima, Eccles. 12. v. 7. & passim in scripturis: ne fingamus illam esse aliquid corporeum. Porro de animæ immortalitate, & quod illa non, secundum opinionem Epicuræorum, cum corpore pereat, (sicut in brutis) non dicemus. Quia de his dubitare hominem Christianum, nefas est: cum saniores Ethnici animam immortalem crediderint, licet de statu animarum non fuerint edocti. Quod autem Pontificum vnus & alter, de animæ immortalitate vel dubitauit, vel doluit ob eam, (vt Paulus III. & Ioannes XXII. Leo X.) indicio esse potest, cuius spiritus filii fuerint illi. Sed ad institutum nos conuertamus.

I. Anima nobilissima pars hominis, à Deo indita. Genes. 2. v. 7. nunquam moritura, sic curanda est, vt inueniat requiæ cum corpore soluta fuerit. Et requiæ tantum, sed illa commendari non potest, cum sit spiritus, nec possit teneri, Eccles. 8. v. 8. nec sicut corpus recondi, &c.

Quod si uiuentibus commendari non potest hominibus, minus defunctis. Licet enim olim Mariæ suas animas commendarint (vt ex illorum preculis blasphemis & impiis, & in primis Psalterio illo Mariæ, quod Bonauenturæ tribuunt pater: vbi hæc ipsa Psalmi verba ad Mariam accommodata sunt, In manus tuas Domina commendo spiritum meum, totam vitam meam, & diem nouissimū &c. Item. In te, Maria speramus, defende nos in æternum, Item, In hora mortis suscipe animam) tamen certum est, Mariam nec preces nostras audire, nec cordis gemitus cognoscere, nec opem præstare, aut animam suscipere posse. Itaque huic anima commendanda, qui suscipere illam potest. Sic ergo Dauid: In manus tuas, DOMINE, commendo spiritum meum. Hæc verba ipse filius DEI moriturus repetit, Luc. 23. v. 46. exemplum præbēs quod

non nisi patri cœlesti anima commendanda. Idem Stephanus facit: Domine Iesum suscipe spiritum. Actor. 7. vers. 59. quia Pater & filius vnum sunt, Ioan. 10. v. 30. Hoc Petrus mandat 1. Pet. 4. v. 19. Commendent animas suas conditori fideli.

2. Quare illi anima commendanda sit, facile hinc est colligere: scilicet, vt spiritus redeat ad Deum qui dedit eum, Eccl. 12. v. 7. Et vt animæ bene sit in æternum. Nam animæ in manu Dei tormentum nō patiuntur. Vide Sap. 3. v. 1. & 3. Solatio fruuntur, Luc. 16. v. 25. Anima latronis in Paradisum recipitur, Luc. 23. Et ex manu Dei nemo illam rapere potest, Ioan. 10. v. 18. & 29. Quicumque igitur volunt animæ bene esse, huic fideli conditori tradant. Sic Paulus propterea exultat: Scio cui commiserim depositum, quod is potens sit seruare, 2. Tim. 1. v. 12.

3. Quomodo autem animam apud creatorem fidelem deponere possimus, ex hoc Davidis loco patet: qui à Deo precibus ardentissimis contendit, vt suscipiat animulam suam. Idem filius Dei, & Stephanus orant clara voce, locis supra citatis.

Precandus itaque Dominus, vt animas quoque nostras in suis recipiat manus.

Debet autem oratio illa ex fide proficisci: sicut ex hoc ipso Psalmo Davidis patet: qui sic incipit: In te confido, Domine. Tu petra mea. Tu refugium, &c. Sic orat etiam Psal. 15. v. 10. Custodi animam meam. Sic sapius. Libra animam, Psal. 1. 2. v. 8. Psal. 11. v. 8. Psal. 116. v. 4.

Et quamuis his verbis conceptis Davidis & Christi optime possit Deo commendari anima (*Danda heist es / Probatum est*) tamen non strictissime Deus verba & vocem, sed mentem & intimas cordis cogitationes requirit: præsertim si vox cesset. Sic Hiskias orat ingemiscens, Esa. 38. v. 14. Sic Hanna orat mente, 1. Sam. 1. v. 13. Et has etiam cogitationes, siue hos gemitus audit etiam Deus. Psal. 38. v. 10.

4. Quando sic anima commendanda Deo? Orantem;

tempore. Recte quidem in ipso agone Deo commendatur, cum è corpore migrare cogitur, vt exempla Christi & Stephani docent. At quia incertum est quando anima sit exitura, & an tum possimus sic loqui & ingemiscere ad Dominum (si forte mors subitanea & improuisa abripiat) ideo non procraftināda hæc petitio, & in agonem reiicienda, sed omni tempore sic orandum: præsertim mane & vesperi, quando vel sumus quieturi, vel è somno surgimus. Etenim David hæc verba profert, multis annis ante mortem. Et haud dubie illa quotidie repetiit in corde suo. Sic Petrus, 1. Pet. 4. v. 19. vult, vt qui patiuntur (pati autem credentibus est cibus quotidianus) sic commendent Deo animas.

II. Pars.

Deo animam piis precibus omni tempore commendandam diximus. At de hoc iam solliciti sumus, inquis, vtrum velit illam in manus suas suscipere. At de hoc etiam certificat nos David verbis Psalmi sequentibus.

1. Quid ni enim accipiat illas cum dederit, Eccl. 11. v. 7. Et Creator animæ sit, Gen 2. 7.

At nos inquinauimus animas puras peccatis? Ideoque forsitan respuet? Audi tu. *Redemisti me*, inquit. Redemit animas à peccatis, sanguine filii sui: quo loti & mundati sumus, 1. Cor. 6. v. 11. Ioan 1. v. 8. Hinc Psal. 34. v. 23. Redimit animas seruatorum, vide ibi.

2. *Fidelis Deus*. Qui non vult perire animas nostras. Iuramentum interposuit, Ezech. 33. vers. 11. Id seruabit, Quia fidelis. Hinc sepe Paulus argumentatur. 1. Cor. 10. v. 3. 1. Cor. 1. v. 9. 2. Cor. v. 18. 1. Thes. 5. 24. 2. Thess. 3. v. 3. Ergo facit voluntatem timentium. Psa. 145. Nec denegabit istam petitionem, Ion. 1. 4. v. 13. & 16. v. 23.

Norandum autem hoc loco, Non omnium animas indifferentèr velle ipsum suscipere. Etenim sunt etiam animæ damnatorum in inferno, in manibus Diaboli, in flamma ignis, in lacu ardenti, Apocal. 2. 1. Patet exemplo

Epulonis purpurati, Luc. 16. Nec inde liberandæ sunt, Pl. 49. v. 9. Hiatus, Luc. 16. v. 26. Et Matth. 16. v. 26. &c.

Ideoque sciendum, Deum, suscipere animas *seruorum suorum*, Psal. 34. v. 23. At hic sunt vt statim sequitur *quis in ipso confidunt*, id est credentes. Constat ergo, De animis fidelium, nos esse posse certissimos, quod sint in manu Dei asseruand, Sap. 3. animæ iustorum, &c. Iusti autem sunt iustificari fide. Rom. 5. ex gratia, Rom. 3. v. 24. Lazari anima deportatur ab angelis, Luc. 16.

Si omnium piorum animæ, ipsi sic (vt diximus) vera fide commendatæ recipiunt ut à Deo.

Si enim maxime peccatis iniquitatæ fuerunt, fide tamen mundantur, vi meriti & sanguinis Christi. Et hæc mortuæ maximæ consolatio: quod sciunt Dominum velle suscipere animas ipsorum.

At impiorum, infidelium & impenitentium animas non recipit: quia hi non Deo, sed diabolo suas tradunt animas Iob 27. v. 8. animam auari non liberandam docet, Psal. 26. v. 9. animas impiorum, peccatorum, &c. rapiendas asserit non à Deo sed à diabolo Prouerb. 8. v. 36. Qui peccauerit, lædet animam. sc. si non egerit poenitentiam, & me oderit, vt sequitur. Esa. 3. v. 9. Væ animæ illorum, sc. qui in malita gloriatur, &c. 1. Pet. 2. vers. 11. de concupiscentiis carnalibus, ait, quod militent aduersus animam.

Nec vult Deus suscipere animam, nisi commendata fuerit ipsius manibus.

Reprehendendi itaque hoc loco, ad extremum, hi sunt grauissime, qui temere suas negligunt animas. Quod faciunt multi.

1. Qui impenitentia sua animas perdunt, *hvd wilstsch verwahrsloßer*. Nolunt conuerti. Item ebriosis, qui nunquam tam sobrii, vt si contingat illos mori ad vespas, aut de nocte, possint animas commendare Deo.

2. Qui non didicerunt ex verbo Dei, cui debeant animam commendare: & moriuntur vt bruta animalia, de anima

anima nihil solliciti. Qui audent dicere, Was frag ich darnach / Will sie vnser d, erri Goretit / so ist der Teuffel ihr f. oh. 2c. Quod interdum homines a Deo, & Epicurari, vel aperte dicunt, vel in corde sentiunt.

3. Qui creaturæ, vt Mariæ & sanctis, & non potius creatori commendant animam, quam is dedit, redemit & glorificare constituit.

4. Qui procrastinatores sunt, & animam suam (quam hæcenus Diabolo consecratur, cuius ductum sequuti sunt) non commendant Deo dum viuunt & valent: sed id differunt ad extremum vitæ halitum: at postpercutunt morte præuerti & prius abrepti, quam animam commendare potuerunt creatori. Et sic moriuntur (vt est in prouerbio) sine lux & sine cruz, &c.

5. Qui benedicunt animæ suæ propter terrena bona, sicut diues ille Luc. 12. v. 19. At quid potuerunt dare pro redemptione animæ: Matth. 16. v. 26. de qua nihil fuerunt solliciti, &c.

F I N I S.

THEMA XLIX.

Psalm. 33. v. 4.

Verbum Domini verum, & omnes eius promissiones in veritate seruantur.

DISPOSITIO.

Sapiens vult, nos non tantum in funeribus defunctorum lugere, sed etiam consolationem accipere, Syr. 38. v. 16. & 18. 24. Eamque ob causam funebres instituuntur conciones, vt & doctrinas & consolationes necessarias, correptiones item & admonitiones audiamus, (hinc enim scripturarum finis est. 1. Tim. 3. v. 16.) quæ nobis in omni vitæ genere, & in morbis quoque & mortis articulo possint esse vsui.

Quia autem scriptura varias & pene innumerabiles consolationes, in veteri & nouo testamento proponit:

est